



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Z.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Z.

TITULUS I.
ZELUS ANIMARUM.

§. I.

*Figura, Symbola.
Zeli, & Zelantium.*

Ex Veteri.

P *Auxillum aqua mihi ad bibendum praebe de hydris tua.* Gen. 24. 17. Sitis Apostolorum, est desiderium salutis hominum. Huic potum praestant, qui eorum verba audiunt, & opere explent. Cornelius hic.

Suscitavit eis Salvatorem. Judic. 3. 9. Salvatores, Salvatorem Jesum imitantes, sunt ii, qui animas in viam salutis dirigere satagunt. Rupertus: si illos dixit Scriptura Salvatores, per quos Deus temporaliter liberavit Israel; quanto magis recte illi dicuntur Salvatores, quorum labor Salvatori nostro ad nostram salutem aeternam cooperatus est &c.

Dixerunq; olive: impera nobis. Judic. 9. 8. Qui per olivam, quae & signum pacis ostendit, oleique pinguedinem fundit, nisi illi designantur; qui Spiritus S. pinguedine delibuti, evangelizando pacem, reconciliant homines peccatori. B. Petrus Dam. opusc. 2. contra Clericos aulicos.

Classis regis - deferens aurum, & argentum. 3. Reg. 10. 22. Veri Salomonis aurum, gemmasque, deferens navis est, quicunque ad Deum animas ducit. Barradius Dom. 18. tom. 2. l. 5. c. 10.

De principibus patrum - secundum vires suas. 1. Eldrae 2. 68. 69. Aurum, argentum, & vestes Sacerdotales, principes patrum secundum vires suas, in impensas offerunt operum templi; cum viri sancti, quidquid sapientiae, quidquid eloquentiae, quidquid percipiunt actionis bonae; totum hoc bene urendo in aedificationem conferunt Fidelium Christi. V. Beda hic.

Nolite me considerare, quod fusca sim. Cant. 1. 5. Symbolice, sol accendens, & quasi denigrans animam, est charitatis aestus: item ardens desiderium fruendi Deo; atque zelus iustitiae: quod quasi tabescit anima, cum videri Dei offensas, & animarum perditionem. *Tabescere me fecit zelus meus.* 118. 139. Cornelius hic.

Botrus Cypri. Cant. 1. 13. Vinum est fervidissimus Zelus expressum de botro Cypri: & calix inebrians, Christi amor. S. Bernardus l. 44. in Cant.

Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Cant. 3. 9. Dicitur anima Sancta ferculum: ferculum a ferendo: quia fertur de loco ad locum, ubi eam voluntas gubernantis direxerit, & Dei omnia disponentis: ut plures reficiat, & ad salutem instruat. Rich. a S. Vict. c.

12. in Cant. Ferculum est qualibet Sanctorum congregatio, ad aeternum convivium animas ferentium. Idem ex Miscell. 2. l. 1. c. 121. Incipientes dicuntur lectulus; quia in eis quiescit Christus: non tamen sunt ferculum; quia non ferunt Christum ad alios; generando ipsum in cordibus aliorum. S. Thom. Aqu. hic Lect. 2.

Descendi in hortum nucum. Cant. 6. 10. Nux, vel fractio nucis, Symbolum est perfectae patientiae illorum, qui animas Christo lucrari, & despondere, satagunt: praesertim illas, quae callum in perfidia, aut vitio quodpiam, longa peccandi consuetudine, obduserunt; ut callus hic suaviter, & sensim, refectetur. Hortus nucum est anima sancta, patiens, & perfecta: praesertim quae assidue laborat in conversione peccatorum durorum; quales sunt Judaei, haeretici, concubinarij &c. Cornelius hic.

Propter quadrigas. Cant. 6. 11. Animadvertendum est diligenter, quod non solum in quadrigis sponsa, & Fideles animae, posita esse dicuntur; verum etiam currus, vel quadrigas, Ecclesiam ipsam positam dicit: ut se veluti piam matrem, & sanctissimum vehiculum, quod plures convehantur ad patriam, esse intelligat. Philo Carpath. hic.

Candidiores nive, nitidiores lacte &c. Thr. 4. 7. In nive sola est candoris pulchritudo; in lacte, cum nitore, est & saporis dulcedo. Parum ergo erat, fuisse candidiores nive, nisi fuissent & nitidiores lacte: id est, parum fuisset, propria sibi met munditia candidos fuisse, nisi venientibus ad se, per sermonem suum, gustum praebuissent dulcedinis aeternae. Sed &, cum candidi, & nitidi, essent, passionibus superadditis quandam purpureum traxerunt ruborem: nam verbera experti sunt. S. Rupertus in l. 53.

Similitudo autem vultus eorum, facies hominis & facies leonis &c. Ezech. 1. 10. Operarius meminerit illorum animalium, quae Ezechiel ostensa sunt. Quodvis quatuor formas habebat, hominis, aquilae, leonis, & bovis. Operarii Ecclesiastici, haec est imago: sit ratione illustrata per fidem homo; contemplatione aquila; fortitudine, contra Mundi, daemonisque, terrores, leo; labore, animarumque cultura, bos. Bos esse nequit, nisi aquila sit, & leo. Barradius Dom. Sept. t. 3. l. 5. c. 19. Hoc totum in uno, quod semel in quatuor. S. Gregorius hic. Dei gloriae minister, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, multiformes induit vultus. Leo apparet, ut peccatores fraenet: bos, ut agrum Domini excolat: aquila, ut immotis palpebris solem aspiciat: homo, ut effabili conversatione homines reducat ad virtutem. Naxera in Jos. 5. §. 15.

Ex Novo.

Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Matth. 9. 2. Portitores cœlestes, qui paralyticos ad Christum sanandos portant, sunt similes his Evangelicis. Barradius D. 18. Pent. t. 2. l. 5. c. 29.

Congregabit triticum in horreum suum. Luc. 3. 17. Iusti tritico similes: quia utiles sunt proximo, & fructificant. Triticum molitur, coaptatur, coquitur, dividitur; ut homines sustentet: sic sancti, ob salutem proximorum, se consumunt. Stella hic.

Et ait servus &c. Luc. 14. 22. Diligens erat, & obediens. Licet enim primò, secundo, & tertio, mittatur; nunquam se excusat, nec laborem refugit, non excusationem priorum præterdit. Zelò insuper fervebat: *adhuc locus est*; his omnibus adductis adhuc numerus Electorum non est completus. Sylveira hic.

Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aque salientis in vitam aeternam. Joan. 4. 14. Fons aquam retinere nescit; sed arva copiosius gessit rigari laticibus; & quò scaturigo abundantior; & auctior est impertitio. Naxera tr. de B. V. §. 28.

Vidit Joannes Apoc. 4. 6. *in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia.* Qui poterant in medio simul esse, & in circuitu? Quatuor animalium nomine, Doctores, & Curatores animarum, significantur: qui tam præstò adsunt omnibus; achi in medio, & in circuitu; intus, & foris; ubique semper, in salutem animarum, excubant. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 4. Sect. 1.

Ex Patribus & aliis.

Duo sunt in hac vita genera justorum: unum videlicet bene viventium; sed nulla docentium: aliud vero rectè viventium, & eadem rectè docentium. Sicut & in cœli facie aliæ stellæ prodeunt, quas nullæ pluvie subsequuntur; aliæ prodeunt, quæ arentem terram magnis imbribus infundunt. S. Greg. mor. l. 27. c. 5.

Adestum caris, non petulantia, atque impudentia, sed vitæ libertate: non oblatione; sed recti custodia; noctibusque illis, quas pro animarum salute pervigiles traducis. Atque eò etiam nomine canis: quia virtutis familiares atque domesticos, mulces; externos latrando insectaris. S. Gregor. Naz. or. 33. in laudem Heronis Philosophi, olim Cincii.

Beatus, qui bona evasit sarena spiritualis, multosque pisces optimo suo cepit Domino. S. Ephrem lib. de Beatitudinibus.

Beatus, cujus mens, tanquam nubes pluvii, divinâ gratiâ plena est; animasque mortalium ad incrementum fructuum vitæ capiendum irrigat. Idem ibidem.

Nubes. Lem: *Effluendo consumitur. Consumitur nubes, & pertransit.* Job. 7. 9. Picinelli.

§. II.

Motiva.

Primum.

Zelus Deo, & Christo, gratus.

Ex Veteri.

Locuta est Maria, & Aaron, contra Moysen. Num. 12. 1. Illa punita leprâ, illò indemni. Sed cur? *omni tempore, quò leprosus est, -sclus habitabit extra castra.* Levit. 13. 46. Aaron Sacerdos erat; ac ideo animarum curæ semper invigilare, circuire, conversari, debebat. Quòd si autem leprâ punitus fuisset; fungi officio suò non potuisset. Paoletti f. 11. de S. Marco.

Afferre Domino, filii Dei, afferre Domino filios arietum. Psal. 28. 1. Hoc est totum, quod expetit, quod requirit: ovium foetus, vile terreni pecoris germen, stratos per viam partus, semina effusa per campos; divino Patri ut divina soboles offerat, admonetur. S. Chrysol. hic. f. 10.

Caput meum plenum est rore &c. Cant. 5. 2. Quia multi in Ecclesia positi, & Deum cum credunt; & tamen frigidi persistentes ad ardorem charitatis non accenduntur: per cinnos autem populos intelligimus. -- Ad hos accendendos sponsa excitatur; dum spiritualis quilibet pro adificatione plurimorum, ab otio ad prælationem Ecclesiæ vocatur. S. Gregor. hic.

Expoliavi me tunicâ meâ &c. Cant. 5. 3. Fortè & tu, ô anima magni Apostoli! sive cujuscunque viri Apostolici, sabbathizare vis. Sed ecce *vox dilecti tui pulsantis* Cant. 5. 2. *aperi mihi soror mea! amica mea!* Hac dicens, utique angariare te vult mille passus, quod est Sabbathi iter; Angariare, inquam, te vult: ut, postpositâ, quam elegeras, solitaria contemplationis require, surgas; illi aperias; vadas Evangelium eius annuntiare: & hoc in una parte orbis terræ in Asia. Vade cum illo alia duo millia passum: id est, noli contentus esse in una Asia prædicare; sed etiam in Africa, & in Europa, prædicando labora; laborando prædica Evangelium. Et hòc modò pulchrè angariatus es, vadens cum illo, non solum mille passus; sed & alia duo: suntque tria millia passuum; quia tres sunt partes orbis terrarum. Rupertus lib. 5. in Matth.

Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea &c. Cant. 5. 2. Jam sponsæ Ecclesiæ ostium cordis aperuerat sponse; totumque cor illi tradiderat, ut patet Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Pulsat tamen id sponsa Ecclesiæ proximorum quoque clausa corda, per suos Concionatores, clave prædicationis aperiat, ait Cassidorus, Beda, Just. Orgelitanus, Richardus, Anselmus, Rupertus &c. S. August. l. 57. in Joan. pulsat, ut excutiat quietem sanctis; & clamat: *aperi mihi*, prædica me. Ad eos quippe, qui clausurunt contra me, quomodo intrabo sine aperiante? *quomodo enim audient sine prædicante?* Rom. 10. 14.

Ad hoc, scilicet ad procurandam aliorum salutem, quatuor titulis, quasi stimulis, eam perurget. *Primò: soror*, inquit, *mea es*: quia par est, ut assimileris mihi; quia frater tuus sum: ut, ego è caelis ad terram in carnem descendi, vivensque totum me impendi hominum salutem; sic & tu mecum te totum eidem impendas. *Secundò: amica mea es*. Si ergo amas me, pasce oves meas. Quare satage; ut & ceteri me amant, mihi que fiant amici. *Tertiò: columba mea es: sponsa mea es* fecunda: columba enim singulis mensibus parit. Tu ergo quoque assidue mihi filios parias, & partos nutrias. *Quartò: pura, & immaculata; pura, & perfecta es*. Cur ergo patieris per proximorum scelera quasi inquinari puritatem meam? quin potius eos depuras, perficis; ubique, imò & mihi, similes efficere satagis, Cornelius hic.

Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Jer. 15. 19. Quid hoc est? qui ab errore ad veritatem manduxerit; vel à peccato ad virtutem; proximum induxerit; pro virili humano me imitatur. Nihil ita gratum est Deo, & ita curæ; ut animarum salus. S. Chrysof. hom. 3. in Gen. Pretiosum à viliseparat, qui humanas mentes à reprobis antiqui hostis imitatione disjungit. S. Gregor. mor. l. 33. c. 16. ante finem.

Ex Novo, & Patribus.

Euntes discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium. Matth. 9. 13. Illam patenter misericordiam se requisivisse significat, quæ impenditur circa curam animarum. S. Rupertus in Os. c. 6.

Neminem per viam salvaveritis. Luc. 10. 4. q. d. ita sitis attenti, & festini ad iter, & ad salutem animarum; quòd de exteriori salutatione, ac aspectu viatorum, quasi non curetis. S. Thom. Aqu. in Gen. 19.

Nullum Deo omnipotentem tale est Sacrificium, quale est zelus animarum. S. Gregor. hom. 12. in Ezech. 3.

Nulla res Deo gratior est, quam ut universam vitam ad commune commodum conferas. Idcirco ratione, atque oratione, nos Deus decoravit; mentem, atque ingenium, concessit; manus, pedes, vires corporis dedit: ut his, & nos ipsos, & proximos, tutemur. S. Chrysof. hom. 79. in Matth. 25.

Si Deum honorare conaris, non aliter melius, quam in hominis salute, poteris acclitare. S. Laur. Just. de compunctione &c.

Secundum.

Exempla.

Ex Veteri.

Non videbit me homo, & vivet. Ex. 33. 20. Meritò admiratur S. August. in solil., cur non Moyses mox exclamet: fac Domine! & moriar, ut te videam. Tam sublimis erat ejus charitas; ut potius voverit vivere inter populi murmura; ut illuminaret populum in religione; quam supremò gaudii ex visione Dei repleri. Sylveira in Act. 25. 10.

Fornicatus est populus. Num. 25. 1. Iratus Hebræo DEUS erat, quippe qui suam cum Moabitibus Venerem coluerat. Dolebat Moyses; & ejulatu plorabant magnò viri boni. v. 6. qui *stebant ante fores tabernaculi*. Nec tamen Deum pro fletu propitiatum lego. Irruit Phinees in Hebræum mala mentis cum bono successu: & Dominus ad Moysen. *Phinees avertit iram meam à filiis Israel*. v. 11. Oleaster: expende, quanto plus valeat ad placandum Dominum vindicta malorum, quam lacrymæ: ut illa placaverit Dominum, & ab ira revocaverit; quòd lacrymæ facere non poterant. Velloso in Judith 7. Paræn. 18.

Trahere me post te: curramus. Cant. 1. 3. id est, si traxeris, non ego sola curram; sed curabo, ut adolescentulæ animæ, alique plures, post te currant. de Ponte hic Exh. 7. §. 4.

Donec introducam &c. Cant. 3. 4. Non tantum tenebo illum mihi; quia *charitas non querit, que sua sunt*: & ideo non quiescam, donec orationibus, & prædicationibus, & exemplis, introducam eum per cognitionem, & amorem, in universum Mundum; qui dominus est Sapientiæ increatæ matris meæ. Idem hic Exh. 4. §. 4.

Ecce ego mitto ad vos Eliam prophetam. Malach. 4. 5. Elias potius, quam Moyses, vel quis alius, erit præcursor secundi adventus Christi. *Primò*: ob ingentem zelum, quò præ aliis prophetis ditatus fuit. Vide 3. Reg. 18. 40. Simili zelò opus erit in fine Mundi, quando refrigescet charitas. *Secundò*: quia, sicut sub Noe Mundus perit diluviò: ita in fine peribit igne. Moraliter hic discite: quanta virtus sit zelus, quantique Deus faciat zelosos: utpote quos velit sibi esse vicinos; suosque esse præcursores, & indices. Cornelius hic.

Ex Novo.

Christi Domini.

Rogabat illum quidam de Phariseis, ut manducaret cum illo. Luc. 7. 36. Legitur Christus accessisse ad convivia invitatus. Sumebat corpore cibum, & refundebat ex ore suo in audientium corda doctrinam: & nobiliora, quam acceperat, erogabat; spiritualia pro corporalibus benignè rependens: simulque prænosens, infiniti esse præcii, eum suscepisse hospitio. Et per corporale hospitium ad cordis interiora per fidem tendebat ingressum. Sim. Cass. l. 4. c. 10.

Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem &c. Joan. 4. 6. Perquiramus, quæ de causâ, & locum, & horam, & absentiam Discipulorum, indicavit. *Hora erat quasi sexta &c.* Cur locum dixit? docebo: in spirituali venatione versabatur; cujus causâ in locum illum se contulerat, unde poterat prædam referre. Cur autem horam quoque dixit? audi: egena erat hæc Samaritana, manuum labore victum quarebat. Hora verò sexta, quò tempore quieti à labore vacabant omnes, tum illa aquam advehebat: quòd noscens Dominus, opportunitatem cepit ad spirituales hanc prædam venandam. Quare verò Discipulos

quos ablegavit? Mulier illa paupercula erat misera, ut jam dictum; neque potuisset multorum satellitum numerum contueri. Quòd si Magistri dignitatem vidisset, & Discipulorum cœtum; subito fortassis aufugisset; ac præda periisset. S. Chrysof. tom. 6. orat. in Samaritanam.

Comprehensus sum à Christo. Philipp. 3. 12. ait Paulus: eram in perditorum numero, suffocabar: apprehendit me Christus: summò studio infestatus est fugientem; ut revocaret ad se. Isidorus Clarius l. 2. or. 10.

Aliorum.

Habeo sub me milites. Matth. 8. 9. Attendant hic Sacerdotes, & Clerici; qui tot habent animas ad curandum; in quibus ferè vix est unica sana: & ita solliciti sint, uti iste Centurio: qui centum milites habens sub se, & propter unum servum ægrum sollicitè tam devotè rogabat Jesum, ut sanaret eum. Hugo Card. hic.

Percurrentes universam regionem. Marci 6. 55. Vide, quanta sit fides hominum Genesareth! ut non presentium tantum salute contenti sint; sed mittant ad alias per circuitum civitates, quò omnes currant ad Medicum. S. Hieron.

Neque tu times Deum? Luc. 23. 40. Non solum non advertibat mentem ad cruciatum; sed, omnibus suis relatis, res alterius curabat: & ut illum ab errore eriperet, & Magister ejus in cruce fieret, omni ope studebat. S. Chrysof. hom. in Crucem.

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem &c. Joan. 4. 28. Hoc signum, si diligitur Christus: quòd is, qui diligit, in ejus amicitiam alios trahit. Sim. Cass. hic. l. 11. c. 3. De aqua gratiæ, quam accipit, in alios refundebat. Idem ibid.

Interrogabat horam ab eis. Joan. 4. 52. Cur quarit de hora? Glossa interlin: non diffidit de misericordia Domini; sed desiderat, ut virtus divina fervorem confessione plurimè innotescat.

Ascendit Petrus in superiora, ut oraret, circa horam sextam: & cum esuriret, voluit gustare. Act. 10. 9. 10. Mirandum, cur sanctum virum post orationem fames sequatur; cum soleat fames oratione depelli, & esuriens anima non nisi oratione saginari. Existimo, Petrum post orationem non esurisse cibum hominum, sed salutem: nec inediã venatum esse corporis, sed inopiã Credentium laborasse. Cum enim Judaicus populus perfidus, & ingratus, illò prædicante, Christo non crederet, famem quodammodo Petrus officii sui sustinebat. S. Ambros. l. 10. de Sanctis. Apud Did. Niss. D. 3. Pasch. §. 1.

Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris. 2. Cor. 12. 15. Si & ipsam carnem infumere oporteat; non parcam propter vestram salutem. S. Chrysof. hom. 26. hic.

Complures his in locis, ob id unum, modò Christiani non sunt; quòd desunt, qui eos

faciant Christianos. Mihi verò persæpe venit in mentem, circum Europæ Academiis, ac præcipuè Parisiensem, cursare, & infani risu passim vociferari; eosque, qui doctrinæ plus habent, quàm charitatis, his compellere verbis: heu! quàm ingens animarum numerus, vestro vitio exclusus cœlo, deturbatur ad inferos! utinam illi, quemadmodum in literas, ita in hanc quoque curam incumberent; ut reddere possent Deo doctrinæ, creditorumque talentorum, rationem. &c. S. Franc. Xavierius l. 1. ep. 5. Societati Romam.

§. III.

Zelus animarum in periculis tutus, non pervertitur.

Figuræ, Symbola.

At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ viventibus foliis in ore suo. Gen. 8. 11. Mirum, quòd ramum olivæ, salutis signum, & victoriæ, portet columba; quæ inter putrida cadavera commorata est. Non perit; potius novæ pacis affect ad cellulam insignia, & ad hominum utilitatem recessit, Dion. Carth. quandam obscuracionem splendidæ contemplationis quandoque incurunt servi Dei: sed redeunt ad Dominum mox recuperare amissa contendunt; & magis, quàm antea, illuminantur. Escobar tr. 5. Proph. Chr. l. 4. Sect. 1. Obs. 1.

Cum suggerent filios Israel. Jos. 10. 11. Solum dirigebantur isti lapides in Chanaanæos: & cum Judæi Chanaanæis fugientibus propinqui essent; lapides, plurimos de Chanaanæis occidentes, neminem de Judæis tetigerunt. Abulen. q. 8. Quia scilicet periculosos pro aliena salute conflictus sustinuerunt. Naxera in Jos. 10. hic.

In plateis sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans, odorem dedit. Eccl. 24. 20. Justi, & spirituales, quos sapientia cœlestis in omnibus actionibus dirigit; in locis maxime suspectis, & in quibus major peccandi occasio; majorem virtutum, devotionis, modestiæque suæ, odorem diffundunt; qui eos gratos, & spectabiles, facit. Beseus D. 2. Epiph.

Simile fermento, quod acceptum mulier abscondit &c. Matth. 13. 33. Fermentum in massæ inspiditatem non transit; sed potius massam ad saporis sui trahit amulationem. Justo enim agnatum est, ab iniquis sociis non solum non perverti; sed eos ad sui imitationem allicere. Escobar tom. 6. Parab. Chr. l. 7. Sect. 2. Obs. 5.

Quemadmodum radii solis contingunt quidem terram; sed ibi sunt, unde mittuntur: sic animus magnus, & sacer, & in hoc demissus, conversatur quidem nobiscum; sed hæret origini suæ. Illine pendet, illuc spectat, ac nititur; nostris tanquam melior interest. Seneca ep. 41.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Omne opus tuum non facies in ea. Ex. 20. 10. Ita legit Tertull. Dicendo tuum, de humano

mano opere definit. Opus autem salutis, & incolumitatis, non est hominis, sed Dei proprium. Tertull. lib. 4. adv. Marcionem c. 12. Pende illas particulas, opus salutis, & incolumitatis: quam aptè opus salutis cum incolumitate copulavit Efcobar t. 2. Perf. Chr. lib. 8. Sect. 3. Obs. 1.

Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Convertentur ipsi ad te; & tu non converteris ad eos. Jerem. 15. 19. Gregoriò, & Chrystostomò, authoribus, ministri Evangelicè inter peccatores degentis securitas exprimitur.

Ecco ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Matth. 10. 16. Quà pietate, Domine, oves tuas ad lupos mittis? Cupio oves meas lupis. Sociari, ut lupos attrahant ad sui emulationem. Non lupi vorabunt oves, sed in oves eorum exemplò convertentur. Vident enim Discipulos ab auro, argento, omnibusque abstinerè divitiis, quibus avari lupi inhiant. Isaias Abb. or. 16. præcepit Dominus eis, ut nihil acciperent in via; cum enim nihil luporum haberent, non poterant lupi eos devorare. Efcobar tom. 6. Pa. Chr. l. 7. Obs. 5.

Ego vado. Joan. 8. 21. Anselmus ado spon-te: & ideo frustra laborati. Quam aptè JESU incolumitas ostenditur, cum proximorum saluti prædicando vacabat. *Hæc verba,* ait Joannes v. 20. *locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo; & nemo apprehendit eum.* Qui docendis proximis vacat, nulli periculo subjacet. Efcobar. tom. 5. Proph. Chr. l. 4. Sect. 1. Obs.

Nunc querebant te Judæi lapidare &c. at Christus: *si quis ambulaverit in die, non offendit.* Joan. 11. 8. 9. Quia timebant & illi, & sibi ipsis magis, dicunt: *modò querebant te Judæi lapidare; & iterum vadis illuc?* At ipse animat illos, & dicit: sicut, qui videt lucem, non ostendit: ita & qui bonum facit, & in lucis operibus ambulat, nihil grave experietur. Theophylactus hic.

§. IV.

Zeli animarum varia motiva, & laudes.

Ex Veteri.

NE putes &c. Esth. 4. 13. Ne putes te ideo sublimatam, ut te solam salvares. Hoc est contra illos, qui non curant, nisi de seip-sis. Quibus dicitur in epistola Judæ: *va illis, qui in via Cain abierunt;* qui dixit Gen. 4. *nunquid ego custos fratris mei sum?* Hugo Card. hic.

Afferte Domino &c. Pl. 28. 1. Afferte, quos sponte venire aut necessitas vetat, aut ætas impedit, aut ignorantia retardat, aut tenent vitia, aut delicta temerantur. S. Chrysol. serm. 10.

Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Prov. 24. 11. Si charitas jubet, eripi hominem à morte corporali; multò magis à spiri-

tuali, & æterna. Hoc maxime dictum sibi putent Religiosi, Sacerdotes, Concionatores sic & Cassianus coll. 2. c. 13. hanc gnomen applicat tentatis: hi enim à dæmone ducuntur ad mortem gratiæ; qui proinde leniter tractandi, & animandi. Cornelius hic.

Fulcite me floribus &c. Cant. 2. 7. Dicit hæc sponsa adolescentulis, quæ sub ejus cura erant: quasi eas rogans, ut consentiant ejus admonitionibus: & fiant quasi flores, & poma; quibus ipsa recreetur. de Ponte hic Exh. 39. §. 2.

Surge Cant. 2. 10. ad lavandos alios: quia *amica es, columba, formosa.* Nunquid frustra has gratias tibi concessi? Nunquid talenta, quæ tibi, ad lavandos alios, dedi, abscondes in terra? si mea amica; cur non de meo lucro sollicita? si mea columba; cur non mihi fecunda? si mea formosa; cur non progredieris foras; ut videant opera tua bona, & glorificent &c. Idem hic Exh. 15. §. 1.

Veni de capite &c. Cant. 4. 8. q. d. pugna-bis contra has feras Dei Verbi gloriæ, & vinces eas: & hos omnes montes, eorumque incolas, ac universas gentes, subjicies mihi: de illis triumphabis, & coronaberis. *Corona senum filii filiorum.* Prov. 17. 6. quoniam ij, qui convertuntur ad fidem, & gratiam; corona sunt eorum, qui eos converterunt. 1. Thesal. 2. 19. *qua spes nostra, aut gloria? gaudium, aut coronas? nonne vos? Gaudium meum, & corona mea.* Philipp. 4. 1. Idem hic Ext. 21. §. 4.

Quem mittam &c. Il. 6. 8. Tò nobis stimulus est Isaiæ, & Apostolis; ut magnò animò missiones Dei suscipiant, cogitantes, se in hac re Seraphinorum esse socios, atque se ire ad opus divinum; non ex se, sed à Deo vocatos, & electos, Cornelius hic.

Ex Novo.

Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. Matth. 5. 6. id est, tam ardentè affectu appetunt in omnibus justitiam observare, ut Deus honoretur in omnibus: sicut famelicus appetit cibum, & potum corporalem. Itaque esurire & sitire, justitiam, quæ est virtus generalis, de qua nunc sermo, est, vehementer optare, ut omnes Deo obediant; & tam ipse, quàm alii, in bona vita proficiant. Dion. Carthus. hic.

Sicut credidisti, fiat tibi. Matth. 8. 13. Felix, per quem etiam in alienam salutem exundant merita propria. Eusebius Gallic. hom. de Quadrag.

Sedebitis & vos judicantes &c. Matth. 19. 28. Quomodo sedebunt judicantes? cum omnis reus etiam verbè otiosi judicandus sit: Petrus negavit, filii Zebedæi ambierunt primas cathedras, facta inter eos contentio, quis eorum videretur esse major, relicto eò omnes fugerunt? Apostolicò munere, & Zelò, omnia peccata ita evacuata, ac si nunquam extitissent. Tam præclarum est munus prædicare, & convertere, Sylveira Addit. hic.

Ne forte non sufficiat nobis, & vobis; ite potius ad vendentes, & emite vobis. Matth. 25. 9. Feliciores, & gloriosiores forent, si sic meritis exundarent, ut sibi, & aliis, sufficere, imò abundare, possent. B. Caesarius Arel. hom. 18. Taliter vos exhibere debetis Fratres; tam sancte; & tam iuste, tam pie; ut merita vestra non solum vobis sufficere, sed etiam peccantibus aliis in hoc saeculo possint veniam impetrare. Baeza t. 2. l. 2. c. 3. §. 14.

Abfandi talentum tuum in terra. Matth. 25. 25. Talentum illud, quod acceperat, & defoderat, servus ille, reddidit integrum: attramen dat penas; eò quòd non auxerat lucrum. Ita tu quidem, etiam ipse purus; & innocens, perseveres, ceterum non augeas talentum, non fratrem pereuntem revoce ad salutem; eadem, quae illo patitur, patieris. Quid magni postulo? unusquisque vestrum unum mihi fratrem ad salutem revocet. S. Chrysof. orat. adv. Judæos.

Duc in altum. Luc. 5. 4. id est, in profundum ut etiam de profundo peccatorum, homines eruantur. O si ego rudis piscator unicum piscem Domino meo Jesu capere possem! S. Bonaventura l. 1. D. 3. Epiph.

Invenit hic primum fratrem suum. Joan. 1. 41. Legitimi Christiani signum est, quòd alios Christo acquirat. Ecce Andreas, cum primum Christum novit, nil prius curat, quam Christo fratrem acquirere. Hoc unum genit Christianus, si solus sit: tunc laetus; si plures habeat fratres Christus inde censetur Dei filii; si alium parcuriat: inde censetur oves Christi, si sterilis non sit inter eos. Cant. 4. 2. inde inter Christianos agnos legitime numeraberis, si gemellus fueris, si non singularis. Baeza t. 2. l. 6. c. 2. §. 14.

Ego sum lux Mundi. Joan. 8. 12. Christianus, qui calorem sine luce habet. Christi Discipuli debent non modò ipsi proficere, & rem suam agere; sed curare quoque, ut & alii meliores evadant. S. Chrysof. hom. 79. ad pop. five jejunos maneat, five dormias humi, five fayillam comedes five lugeas continuo; & nulli prois alteri, nihil magnum efficias. Did. Niif. Sabb. D. 4. Quadr. §. 5.

Pasce oves meas. Joan. 21. 17. Illi quidem (Christo) licebat verbis hujusmodi Petrum affari: si me amas Petre, jejunia exerce, super nudam humum dormi, vigila continenter: Nunc verò, praetermissis omnibus his, quidnam ille ait? *pasce oves meas.* Nam, quae modò à me dicta sunt, ea complures etiam ex subditis praestare facile possunt; non viri solum, sed etiam feminae. At verò de Ecclesiae praefectura, de credenda huic, vel illi, tam multarum animarum curam agitur: Univerfa quidem muliebris natura functionis istius molis, ac magnitudini, cedat oportet, itemque & bona victorum pars. S. Chrysof. l. 2. de Sacerdotio.

Aliis autem miseremini. ep. Judæ v. 23. Docet S. Judas, quam animarum salutem incumbere debeamus. Docet praeterea; hunc anima-

rum zelum debere esse celerem, & efficacem cum ait: *de igne rapientes.* Sicut enim, si quem puerum, vel amentem, in ignem rucere videremus; illico etiam pro viribus, etiam nolentem, & resistentem, inde raperemus: sic animas, per peccatum sponte ruentes in ignem gehennae, omni conatu, & celeritate, etiam per vim, inde rapere debemus. Porro omne peccatum, omnis cupiditas, est ignis; sed maximè libido. Est ignis, quia gehennae vicina: nil enim inter libidinosum, & illam, interiacet, nisi paries fragilis corporis; quòd disjectò illico ultricibus flammis addicetur. Cornelius hic.

Ex Patribus, & aliis.

Omnis bonus operarius manus Christi est. S. Ambros. or. fun. de obitu Valentiniani Imp.

Vos autem genus electum (operarios Domini alloquitur) infirma Mundi; qui dimissis omnia, ut sequeremini Dominum; ite post eum, & confundite fortia: ite post eum speciosi pedes, & luccetè in firmamento; ut caeli enavient gloriam ejus. Ubique discurrite ignes Sancti, ignes decori: vos enim estis lumen Mundi; nec estis sub modio. Exaltatus est, cui adhaesistis; & exaltavit vos. Discurrite, & innotescite omnibus gentibus. S. August. Conf. l. 13. c. 19.

Saluti nostrae salutem proximorum adjiciamus; praesertim cum, qui sua contentus, negligit alienam, nec suam quidem consequi potest. S. Chrysof. hom. 60. in Matth. 18. Vide hic pulchra fusiis.

Non mihi persuasi, salvum fieri quenquam posse, qui pro proximi salute nihil laboris impenderit: cum neque miserum illum quicquam juverit; talentum sibi traditum non imminuisse: imò hoc ille nomine periit, quòd illud non auxisset, duplicassetque. S. Chrysof. l. 6. de Sacerdotio c. 10.

Homo est totò Mundò pretiosior: hujus enim causam, & caelum, & terra, & mare, condita, & sol, & stellae. Perpende igitur, quanta sit dignitas ejus, cujus salutem consulitur; & nè contempseris illius curam. Nam etiam si pecuniae vim immensam dinumeraverit aliquis; nihil simile praestiterit ei, quòd praestat is, qui servat animam, & abducens ab errore ad pietatem manu reducit. Idem or. 3. adv. Judæos.

Annuntiate peccatori opus ejus, nè ille in peccato suo moriatur: sanguinem verò ejus de manu vestra requiret, qui suo eum redimit sanguine pretioso. En, de caelo clamat: virgo Israel corruit, & non est, qui sublevet eam. Quousque in luto aurum jacet! tollite margaritam! levate splendidissimam, atque pretiosissimam gemmam de sterquilinio. Levate eam, antequam porcorum, id est, spurcorum spirituum pedibus conculcetur. S. Bernardus ep. 203.

Si magnæ mercedis est, à morte eripere carnem quandoque morituram; quanti est meriti, à morte animam liberare, cœlesti patria sine fine victuram. V. Beda in Jacobi c. 5.

Nulum opus, nullaque commendabilis exercitii disciplina, salutis proximorum anteponenda est. S. Laur. Just. Fascic. am. c. 2.

Satis me vixisse arbitror, & officium hominis implēse; si labor meus aliquos homines, ab erroribus liberatos ad iter cœlestis direxerit. Lactantius lib. de officio Dei.

Est quæstus planè non modicus, ubi lucrum, non pecuniarum, sed acquiritur animarum. S. Maximus hom. in II.

Procurator est quodammodo salutis humanæ, qui non tantum id agit, ut bonus sit; sed efficere hoc nititur, ut alii mali esse desistant. Salvianus de provid. Dei l. 7.

Jesus salutaris, vel salvator, interpretatur; & significat unumquemque, qui suam, & aliorum, salutem quarit, & operatur. Hugo Card. in Luc. 7.

Nescio, si potest homo aliquid à Deo in hac vita majus accipere; ignoro, an possit hac gratiâ interim majorem aliquam Deo homini conferre; quam ut ejus ministeriò perverfi homines in melius mutentur; ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur, &c. Richardus à S. Vict. lib. Benjamin c. 44.

Quod scribam præterea nihil habeo; nisi, tantam esse vim & copiam gaudiorum, quæ Deus suis hujusce vineæ operariis, in hac barbarie excolenda, sedulo laborantibus largiri solet: ut, si quæ vera est, ac solida, in hac vita jucunditas; hæc una mihi esse videatur. S. Franc. Xavierius ep. s. societati Romam Cocino l. 1.

§. V.

Zeli animarum proprietates, & actus.

Occurrit prius magis egentibus.

Circuibat Jesus totam Galilaam, docens in Synagogis eorum. Matth. 4. 23. Perambulatur oppida, & vicus: quia in his parvis locis major necessitas cœlestis doctrinæ, quam in civitatibus; ubi sunt multi Doctores. Sylveira hic.

Simon, habeo tibi aliquid dicere, &c. Luc. 7. 40. Cur Christus prius loquitur Pharisæo, quam Magdalenæ? S. Chrysost. l. 94. Christus illic primùm curam vertit, ubi ignota sæviebat infirmitas: ut cœlestis medicus unò medicamine duos curaret ægros.

Venit ergo ad Simonem Petrum. Joan. 13. 6. Origenes, Chrysost. & Euthymius, ajunt, primùm Judæ lotos pedes, causam addit Orig. ut medicina, ubi magis morbus urgebat, citius adhiberetur. Escobar t. 3. Colloq. Chr. l. 3. sect. 2. §. 3.

Nullus locus ei vilis.

Vox Dilecti mei pulsanis: aperi mihi soror mea, amica mea. Cant. 5. 2. Strabus: Sto ad ostium, id est, in spiro. Anselmus: sto ad ostium, id est, cor clausum, vel induratum. Quid tibi, Fili Dei, cum peccatorum habitaculo? Et Polyant lib. Sacr. Tom. II.

rogas, & cupis, ut aperiant? in platea Dominus? noctu cœlestis vagatur sponus? S. Aug. Conf. l. 4. c. 11. noli esse vana anima mea, & obsurdescere, Verbum ipsum clamat; & ibi est locus quietis imperturbabilis. Ibi est locus quietis? ibi: ubi clamat, ubi pulsatur: in platea, in foro, tam decenter commoratur; acsi in cœlesti throno resideret. Escobar t. 6. Parab. Chr. l. 9. sect. 4. obs. 6.

Vidit alios stantes in foro otiosos. Matth. 20. 3. Tanta est Domini pietas, ad peccatores adducendos; ut, postquam eos in locis abditis non invenit, vel ad forum, sibi invisum, eos quaesiturus egredjatur. Orig. forum est, quod extra vineam, aut Christi domum, est s. an non forum autoritati Domini indignum, ubi rustici commorantur? Nullus locus Sacerdotali autoritate indignus, si inibi animarum salus reperjatur, Escobar t. 6. Parab. Chr. l. 9. sect. 4. obs. 6.

§. VI.

Zelus animarum sit universalis; non loco, non personis, affixus.

Christi Domini.

Deus magnus Dominus. Pl. 94. 3. Cur tam magnus? quia in manu ejus sunt omnes fines terra. Ego flos campi. Cant. 21. quia per totius orbis latitudinem odoris mei gratiam innotescere cupio, V. Beda hic.

Ego veniam, & curabo eum. Matth. 8. 7. Redemptor noster, ut ostenderet; quia, quæ alta sunt hominum, despicienda sunt; & quæ despecta sunt hominum, despicienda non sunt: ad filium Reguli ire noluit. Joan. 4. ad servum Centurionis ire paratus fuit. S. Gregor. hom. 28. in Evang.

Intravit secundum consuetudinem suam die Sabbathi in Synagogam. Luc. 4. 16. Dominus non venerat, ut prodesset uni; sed ut prodesset multitudini: idè in Sabbatho consueverat intrare in Synagogam, & prædicare: quia tunc omnes ibi conveniebant. Hugo Card hic.

Et quid volo, nisi ut accendatur? Luc. 12. 49. Pro, & quid volo, si jam accensus est? significatur per hoc: quod ex quo ceperat accendi ignis amoris spiritualis in Discipulis, desiderabat, ut extenderetur ad universum Mundum. Cajetanus hic.

Aliorum.

Egressus est Joseph ad terram Egypti, & circumvit omnes regiones Egypti. Gen. 41. 46. Regius Vicarius, assumptâ Egypti procuratore, obibat ejus regionis præfecturas, & oppida; omnibus novam Magistratum officiose, & hilariter, excipientibus: quos tum beneficiis, tum comitate, sibi devinciebat; elucente in ipso vultu hominis eximiâ quâdam gratiâ. Philo l. de Joseph.

Dominus misit me usque in Bethel. 4. Reg. 2. 2. Ait Elias ad Elifæum per turbinem ascensurus; quasdam urbes prius, & loca, visitavit. Quâ diligenter perlustratâ rursus ait Elifæo: Dominus misit me in Jericho, v. 4.

Aaa 22a

Quâ

Quâ etiam lustratâ rursus ei ait: *Dominus misit me usque ad Jordanem.* v. 6. ubierant aliqua tuguria, & exigua domus. Quibus omnibus locis peragratis, igneò curru in sublime vehitur. v. 11. Quid habent tales visitationes cum migratione? quia maximè præparat ad ascensum in cœlum; non solum amplas urbes, sed etiam parva loca invisere. Sylveira in Joan. 16.

Inde contemplatur escam. Et ubicunque cadaver, statim adest. Job. 39. 29. 30. E cella defilimus, & promptius, & felicius, ad cadavera. Si non habitemus in silice, non ad cadavera; sed ad florulentos, & epulantes, descendemus. Ad cadavera advolandum, id est, peccator requirendus. *Secundò:* non satis est, quòd impigrè ad impios, vel nostri indigos, properemus; sed ubicunque hi jacuerint, & nostram implorârunt opem; accurrendum. Oliva l. 4. Strom. §. In arduis ponet nidum suum.

Si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam &c. Matth. 10. 13. Quis in ea dignus sit: non quis in ea dives sit; non quis habens bonum hospitium: sed quis dignus regno cœlorum. Cajetanus hic.

Nemo lucernam accendit &c. Luc. 8. 16. *Ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Matth. 5. 15. Videris; an omnibus luceas? qui ad juvandos divites aliger es, compeditus, & plumbeus, ad pauperes. Lucerna es, ut omnibus luceas. Idem l. 13. Strom. hic.

§. VII.

Zelus animarum quas virtutes requirat.

Num. I.

Spernat terrena, non querat sua, &c.

Oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde. Pf. 30. 13. Id est, à propria voluntate. Bona oblivio, si teipsum nescias, ut proximo prosis. S. Bernardus ep. 42.

Sequere me. Matth. 9. 9. Non dixit, affer ad me: quia Matthæum, non Matthæi, sacculos, requirebat. S. Chrysol. l. 28.

Gratis accepistis, gratis date. Matth. 10. 8. Quare non vendis ò sol lucem tuam? gratis accepi, gratis communico. Quare non vendis Rhene aquam tuam? gratis accepi, gratis fundo. Solus miser homo vendit gratiam sibi collatam. S. Bonaventura f. 2. hexam.

Introivit domum Simonis &c. Luc. 4. 38. Videris, quæ res ad domum Petri invitaverit Christum? utique non discumbendi voluptas, sed jacentis infirmitas; non prandendi necessitas, sed salutis occasio; divinæ virtutis opus, non humani pompa convivii. Christus, non epulas percepturus, sed vitam redditurus intravit. Deus querit homines, non humana: cœlestia dare cupit; non concupiscit invenire terrena. Sanct. Chrysol. f. 18.

Et ipse avulsus est ab eis &c. Luc. 22. 41. Oraturus vel ab ipsis Discipulis avellitur. Vix aliquid præstare possumus, si non ab omnibus avellamur. Contrâ quid non magnum à nobis præstabitur, si nulli creaturæ hæreamus.

Magna geremus licet minimi; si tamen à rebus omnibus sejungamur. *Lapis* prope Babylonem Dan. 2. 34. devolutus è monte, parvus erat; sed vix excisus è rupe, scelestis grandem molem evertit. Ideo Paulus *segregatus* fertur in *Evangelium*. Rom. 1. 1. nec enim propagando Christi nomini aptus is est, qui ab omnibus etiam amicis separatus non est. Abraham facturus est magna; sed postquam abierit è patria, & cognatis. Gen. 12. 1. Oliva l. 13. Strom. Luc. 22.

Habebat in dextera sua stellas septem; & de ore ejus gladius. Apoc. 1. 16. Septem stellæ, septem Ecclesiæ Asiæ Joannis curæ committæ. Joannes, vis ad tua verba tremere Asiam? omnes observent; te nil aliud amare, manibusque tractare, quàm eorum commoda. Stellæ in manu gladios in ore generant, & verba in hostilia mutant: tum Prælati omnis obsequitur; si se, suaque, non cupiant. Oliva t. 1. conc. 20.

Non purè valet Dei, & proximi, quære lucra, qui propria non contempserit. S. Bernardus ep. 42.

Num. II.

Humilitas.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis. Ex. 3. 2. Cur in igne Dominus? Educturus ex Ægypto filios Israel, Moysen ablegabat: ideoque ex igne cum docere voluit, qualis esse debeat populorum, & animarum, liberator. Ignis enim, cum elementorum primas sit, & in cœlo regni sui sedem habeat; ut Deo tamen obsequatur; non recusat infra omnes esse, & Inferno concludi ad impiorum pœnam, factus ex summo postremus. Quique in cœlo blanditur, non urit; in gehenna nocentes immanissimè torquet. Qui animarum curæ destinatur, licet excelsa teneat, infima non declinet. Et licet mitissimus sit, cum stellis circumdatur; furere debet, & sævire, quando perduellibus immisceatur. Oliva l. 9. Strom. §. apparuitque Dominus &c.

Usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Matth. 2. 9. Licet cœlestem fuerit originem nacla, non dedignatur demitti ad stabulum usque; ut hominibus præbeat ducatum. Bæza tom. 1. l. 1. c. 8. §. 7.

Tantò humilius impendat quisque proximo omne bonum, quod potest; quantò certissimè novit, quòd à semetipso non potest habere, quod impendat. V. Beda in 1. Petri 3.

Num. III.

Pura intentio, & alia requisita.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Matth. 10. 16. Qui vult esse verus servus Christi, & Apostolus; cogitet, se mitti quasi ovem inter lupos: ac proinde sit prodigus vitæ, æstimet se perditum; sit resolutus ad labores, cruces, mortem, pro Christo. Dux Albanus, Capitaneus Generalis exercitus Caroli V. habebat quadringentos juvenes animosos, & resolutos; quos vocabat prodigos vitæ & perditos, *Ragbâls*. Hos in conspectu immittebat seorsim in latus hostium fortius: illi,

illi, ut audacissimi, pugnacissimi, & certi mori, turbabant ordines hostium; eosque runpendo ordinariè pariebant victoriam. Cornelius hic.

Diligis me plus his? Joan. 21. 15. Ecce, quòd potius diligentibus committitur cura animarum: etenim in illa virtus amoris plus, quàm sapientia, operatur. Quoniam qui Christum in veritate non diligit, nec per sapientiam bene gubernabit Dominicum gregem. Sim. Cass. l. 24. hic.

Amas me? pasce oves meas. Joan. 21. 15. Quid est aliud, quàm si diceretur; si me diligit, non te pascere cogita, sed oves meas: sicut meas pasce, non sicut tuas: gloriam meam in eis quære; non tuam; dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua. S. August. tr. 123. hic.

Necesse est, eum, qui vult etiam aliis prodesse, multa pati, & cuncta ferre patienter; sicut de Paulo dictum est: *ego ostendam ei, quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* Orig. hom. 27. in Num.

§. IIX.

Prius tibi intende, Zelum exerce sine tuo damno.

Ex Veteri.

Reverfus est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala. Jos. 10. 43. Suppetias fert Gabaonitis, in hostes irruit, diem producit, sed integrò numerò ad castra reversus. Vita quidem, ob charitatem periculis exponenda; sed virtus minuenda nunquam. S. Gregor. in 1. Reg. 10. Redemptor noster sic vult nos quærere salutem alienam, ut non negligamus nostram: vult, ut vocentur peccatores ad poenitentiam; sed non vult, ut pereant hi, qui ipsos peccatores vocant, vult, ut conversus peccator justitiam, quam non habuit, habeat; sed non vult, ut iustus eam, quam habet, justitiæ palmam perdat. Naxera hic §. 51.

Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum. Pf. 28. 1. Prius sis filius Dei, quàm ea offeras, quæ grata sunt, Deo. S. Basilus hic.

Surge amica mea, formosa mea &c. Cant. 2. 10. Non vocatur, quæ viciis est denigrata, vel adhuc parum firma; sed quæ jam est amica Dei per gratiam; quæ novit voluntatem ejus facere per exactam obedientiam; cuique divina secreta commissã sunt per intimam contemplationem. Debet esse columba per simplicem intentionem; mansuetus sine felle; pro peccatis suis, & alienis, gemere: formosa exemplò. de Ponte hic Exh. 15. 2.

Ex Novo.

Quid molesti estis huic mulieri? Math. 26. 10. Nonnunquam ego, cum sederem ad pedes Jesu moriens, & offerens sacrificium spi-

ritus, contribulati in recordatione peccatorum meorum; aut certe ad caput, si quando, vel raro, starem, & exultarem in recordatione beneficiorum ejus; audiivi dicentes: *ut quid perditio hac?* Causantes videlicet, quòd solum viverem mihi; qui (ut putabant) multis prodesse possem. Et dicebant: *potuit enim vendari multò, & dari pauperibus.* Sed non bonum mercatum mihi est, etiamsi univrsum Mundum lucrer, me ipsum perdere, & detrimentum mei facere, S. Bernardus f. 12. in Cant.

Cum accepisset linteam, præcinxit se. Joan. 13. 4. Præcingit se linteo Dominus, & Salvator, ad nitiditatem sui, & in absterfione abluendorum: ut sic alios lavet, aut tergat; nè se ipsum commaculet. Vigilent, qui præstant; ut taliter alios adjuvent, nè se ipsos periculis peccatorum exponant: nè, dum alios abluunt, aut tergant, ipsi turpentur. Nos virtute præcingi debere præmonstrant, antequam ad proximorum obsequia procedamus: nè, dum servimus in necessariis proximo, in magis debitis displicemus Deo: & dum alienæ intendimus perficiendæ salutis, propriam nos ipsi perdamus: & nè incidamus in illam maculam, quam in aliis affectamus abstergere. Sim. Cass. l. 13. 5.

Ut eatis, & fructum offeratis. Joan. 15. 16. Non ait, & fructum mittatis, sed offeratis. Qui aliquid mittit, non ipse venit cum eo, quod mittit. Vult Deus alios ad se adduci, & nos simul cum illis veniamus. *Affer ut comedam.* Gen. 27. 4. *Afferite filios arietum.* Pf. 28. 1. Ita notat Hugo Card. apud Pinna in Eccl. Ethol. 155.

Miseremini in timore. Judæ 23. Docet sanctus Judas, charitatem debere esse prudentem, & circumspectum; nè, dum alios vis salvare, te ipsum perdas. Sicut debiles, qui manum natantibus jam submergendis porrigunt, ut eos extrahant, ab iis, utpote validioribus, in undas protrahuntur, & merguntur. Cornelius hic.

Ex Patribus, & aliis.

Parum proficit sibi, quamquam alteri intendat, qui erga se minus sollicitus est. O quam multos in gremio suo nutrit Ecclesia, qui adedò aliis vacant, ut de se vix cogitent. S. Laur. Just. tr. de compunct.

Fervor tuus agat in te prius; & ita inflammatus alios calefac: sicut ignis proxima prius, & postea remotiora, calefacit. Regula ingenii tui, & zelus justitiæ tuæ, primùm formet te in exemplar artis tuæ aliis imitandum. S. Bonaventura de inform. spir. vitæ c. 17.

Acquirere animas exemplò, & doctrinâ, omnium Regi Christo, magni est meriti, sed non professionis omnium: acquirere seipsum, tota est, & omnium, Christiana professio.

Simon. Cass. l. 4. c. 2.



TITULUS Ultimus.
ZELUS HONORIS DIVINI.

Erat cor ejus pavens pro arca Dei. 1. Reg. 4. 13. Heli cetera malus, in hoc bonus: audiens arcam captam, cecidit. Non doluit, acceptam cladem, fugam militum, libertatem perditam, excidium principatus, liberorum mortem. *Erat enim &c.* O elogium! Hic est Spiritus Sacerdotii, nihil aliud, prater Sanctuarium, cogitare &c. Oliva t. 1. conc. 2.

Quoniam irritaverunt te Domine. Pf. 5. 11. Non curo, inquit, res meas; sed propter ea, quæ tua sunt, angor, & in animo crucior. S. Basilius hic! Est hoc Sanctorum, ut res quidem suas negligant; pro his verò, quæ Dei sunt, decerent. Pinna Eth. 116.

Statuerunt dimicare, & confluere fortiter; ut virtus de negotiis judicaret. Erat enim pro uxoribus, & filiis, itemque pro fratribus, & cognatis, minor sollicitudo; maximus verò, & primus, pro sanctitate, timor erat templi. 2. Machab. 15. 18.

Ei cum secisset quasi flagellum &c. Joan. 2. 15. Cur per seipsum eiecit vendentes? quia talis erectio pertinebat ad Dei cultum: quia quæ ad Dei honorem spectant, licet vilia appareant, ea obire nè vereamur. Sylveira hic q. 10.

Canes latrant pro dominis; & tu non vis latrare pro Christo? mori possum; tacere non possum. S. Hieron. l. 3.

O. A. M. D. G.



TEX-